

De regularium exemptione.

Dissertatio historico-juridica.

Scripsit P. Robertus Breitschopf, O. S. B. mon. Altenburgensis,
S. Theologiae Doctor.

I.

Definitio¹⁾ ac divisio.

De exemptione regularium multi canonistae variis temporibus modo diligentissimo ac accuratissimo scripserunt. Si quaeritur, quid sit exemptio, respondendum est: „exemptio est species quaedam privilegii ecclesiastici“ et definitur (late sumpta): „immunitas ab Ordinarii jurisdictione, seu ista conditio, qua persona vel locus ab Episcopi jurisdictione vel alterius Superioris ordinariam jurisdictionem habentis potestate subtracta et immediate Summo Pontifici subjecta existunt.“ Exemptio regularium definitur et est: „immunitas regularium a jurisdictione episcoporum vel dioecesium ordinariarum item vicariarum apostolicarum aliorumque, qui ordinariam in certis territoriis ecclesiasticis auctoritatem exercent.“ Exemptio regularium²⁾ dividitur et est:

1. passiva vel activa. Passiva illa exemptio nominatur, vi cuius praelati praesunt certo generi personarum intra ambitum alicuius ecclesiae vel monasterii degentium, et sunt exempti a jurisdictione episcopi, sed non habent (praeter dictas personas) populum clerumve subjectum. Exemptio activa aut totalis aut partialis est: Praelati exemptione activa totali gaudentes secundum morem loquendi „praelati nullius“ dicuntur. Sunt autem praelati nullius illi, qui jurisdictionem, activam in clerum et populum in territorio a dioecesi separato exercent, ita ut quasi dioecesim tanquam „semiepiscopi“ possideant. Econtra praelati cum exemptione activa partiali jurisdictionem quidem activam in populum et clerum certi loci habent qui tamen locus non est vere separatus, sed remanet in episcopi dioecesi.

2. Ratione subjecti dividitur exemptio regularium in personalem vel localem vel mixtam, quatenus immediate personas vel locum vel tam personas quam locum afficit.

3. Ratione objecti distinguitur exemptio a lege dioecesana aut a lege jurisdictionali. Sub priori intelligitur immunitas regularium a tributis varii generis episcopo solvendis, ad quorum

¹⁾ Vide definitiones »exemptionis« ap. Ferrari »Prompta Bibliotheca canonica, juridica, moralis, theologica«, tom. VI. Regulares, Articulus II. — Biederlack, S. J. »de jure Regularium«, pag. 213. — Bouix »Tractatus de jure Regularium«, Tom. II. pag. 85.

²⁾ Quotiescumque in hac dissertatione de regularibus loquimur, sub voce regularium intelligendi sunt ii, qui vota solemnia in ordine quodam a sede apostol. approbato emisissent.

solutionem saeculares clerici tenentur. Exemptio a lege jurisdictionali in eo est, quod regulares legislativae, judiciali et coercitivae ordinariorum postestati subtracti existunt.

4. Ratione modi acquisitionis distinguitur exemptio nativa, dativa et praescriptiva, prout acquiritur origine vel privilegio vel praescriptione.

II.

De origine et evolutione historica exemptionis regularium.

Multi canonistae nec non historiae ecclesiasticae scriptores existimant, initio omnia monasteria jurisdictioni episcoporum ordinariorum subjecta fuisse, atque originem exemptionis saeculum VI. vel etiam IX. nominant. Ita e. g. Quilielmus Sebastianelli in opere suo „Praellectiones juris canonici“ (Romae 1896) scribit (pag. 431): „Certum est, quod primis ecclesiae temporibus, sive quando monachi sacris ordinibus non initiabantur, sive quando monachi sacris ordinibus insigniri coeperunt, religiosi eorumque domus penitus subdebantur episcopis.“ „Gregorius M. primus episcoporum jurisdictionem in monasteria limites intra certos coërcuit.“ Sed multa testimonia, quae sanam criticam optime sustinent, afferri possunt, quibus demonstratur, saltem initia exemptionis regularium jam saeculo IV. ac saeculo V. reperiri. — Afferuntur documenta historica ex singulis saeculis.

Ex saeculo IV. ac V. nec non VI.

Jam S. Basilius (330—379) in epistola ad Amphilochium ¹⁾ questus est, nullum episcopis esse adminiculum corripendi pravos monachos, quandoquidem absque ulla solemnitate propositum monasticum amplexi fuerant. Paulinianus. S. Hieronymi frater, qui monachus in monasterio quodam Betlehemitico erat, a Joanne, episcopo Hierosolymitano, ad subdiaconatus ordinem promotus fuerat; S. Epiphanius autem, cum postea (c. a. 390) in illis regionibus degerat, Pauliniano ordinem diaconatus et presbyteratus contulit. Reclamante Joanne episcopo ordinario, S. Epiphanius hanc scripsit epistolam ²⁾ ad Joannem: „Nihil tibi nocuimus, nihil injuriae fecimus, nec quidquam violenter extorsimus. In monasterio fratrum, et fratrum peregrinorum, qui provinciae nihil tuae deberent . . . ordinavimus diaconum, et postquam ministravit, rursus presbyterum . . . Haec ita acta sunt, ut locutus sum, in caritate Christi, quam te erga parvitatem nostram habere credebam: quamquam in monasterio ordinaverim, et non in parocchia, quae tibi subjecta est.“

¹⁾ Epistola 199, al. 2. ad Amphilochium de canon. Opp. tom. 3. pg. 292, edit. Maurin.

²⁾ Epiph. Epistola a Hieron. lat. redd. 51. (Migne. tom. XXII. col. 517.)

Majoris momenti pro nostra quaestione est Concilium Arelatense III. (a. 450 vel 455),¹⁾ in quo causa Fausti, Abbatis Lirinensis adversus Theodorum, episcopum, hoc modo soluta est, ut monasterium Lirinense in pristina sua conditione perseveraret et proinde ita semper ab ordinarii potestate liberum existeret, ut hic tantum sibi vindicare posset clericorum ordinationem ab ipso, vel cui ipse injunxerit, faciendam, chrismatis missionem et neophytorum confirmationem. De hoc judicio clarissimus Mabillon (Annales O. S. B. Tom. I. l. I., 40) ita scribit: „Hoc est solemne et celebre illud Arelatense decretum, quod subsequentibus monasteriorum privilegiis (in Occidente) primam formam dedit, etiam in Carthaginensi concilio (a. 525) sub Bonifatio Primate laudarunt.“ Hoc concilium Carthaginense²⁾ a. 525 celebratum in sessione II. die VI. febr. decretum edidit hunc in modum: „Erunt igitur omnia omnino monasteria, sicut semper fuerunt a conditione clericorum modis omnibus libera, sibi tantum et Deo placentia.“ Eodem modo concilium Carthaginense (a. 535) sub Reparato Primate adjudicavit, nam hic est canon concilii Carthaginensis sub Reparato de libertate monasteriorum:³⁾ „Felicianus, episcopus ecclesiae Ruspensis dixit: Apud Ruspen monasterium est a domino Fulgentio praecessore meo constitutum: peto sanctitatem vestram, ut aliquid de monasteriis ordinetur. Felix episcopus ecclesiae Zactarensis provinciae Numidiae dixit: De monasterio abbatis Petri, ubi nunc Fortunatus abbas constitutus est quae temporibus Sanctae memoriae Bonifacii in universali concilio nobis etiam praesentibus acta sunt, inconvulsa permaneat. Cetera vero monasteria etiam ipsa libertate plenissima perfruantur; servatis limitibus conciliorum in haec dumtaxat, ut quandocumque voluerint sibi clericos ordinare, vel oratoria monasteriis dedicare, episcopus, in cuius plebe vel civitate locus monasterii consistit, ipse huius muneris gratiam compleat, salva libertate monachorum: nihil in eis praeter hanc ordinationem vindicans, neque ecclesiasticis eos conditionibus, aut angustiis subdens.“

Quare cl. Bianchi scribit (in opere suo „Potesta della Chiesa“, tom. IV. pag. 370. edit. Romae 1746): „Ex iis actis edocemur, Africae monasteria omnia fuisse ab ordinaria jurisdictione episcoporum, in quorum dioecesi fundata fuerant“; nec minus certum id visum est praeclarissimo Zaccariae („Antifebronio“, parte 2., l. 5., cap. 1). Ab iis, qui initia exemptionis regularium

¹⁾ Hardouin, Concil. Tom. II. col. 781. — Hefele, Conciliengesch., Bd. 2. S. 563. — Thomassin, Vetus et nova Eccl. disc. P. I. Lib. III cap. 26. n. 16 (Tom. III. pag. 202).

²⁾ Hefele, Conciliengesch. Bd. 2. § 238, S. 710. — Hardouin in op. cit. Tom. II. col. 1190.

³⁾ Hardouin, »Acta Conciliorum« Tom. II. col. 1177 et sequ.

saeculo VI. vel etiam IX. reperiri defendunt, semper primo loco pro hac sententia concilium Chalcedonense (a. 451) refertur, quod canone IV. definivit: ¹⁾ „monachos autem, qui sunt in unaquaque regione et civitate, Episcopo subjectos esse“... „Civitatis autem episcopum oportet eam, quam par est monasteriorum curam gerere.“ — Sed adversariis exemptionis responderi potest: canon iste IV. ad summum tantum probat, ex tunc (a. 451) monachos Episcopo ordinario subijci, sed nequaquam, jam antea subjectos fuisse. Sed ne hoc quidem, quia canon IV. hujus concilii ad canones disciplinares pertinet, qui ab ecclesia Romana non sunt confirmati. Tamen paulatim haec disciplina in quibusdam regionibus invaluit, ut episcopis liceret abbates sibi subditos corrigere, eorumque supplere negligentiam, deinde ipsa visitare monasteria, appellationes admittere et alia huiusmodi. Ita e. g. concilium Aurelianense I. (a. 511) can. XIX. ²⁾ statuit: „Abbatess pro humilitate religionis in episcoporum potestate consistant, et si quid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigantur; qui semel in anno in loco, ubi episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant.“ Item Synodus Epauensis (a. 517), cuius canon XIX. ³⁾ dicit: „Abbas, si in culpa reperiatur, aut fraude, et innocentem se asserens, ab episcopo suo accipere noluerit successorem, ad Metropolitanam iudicium deducatur.“ Synodus Aurelianensis II. (a. 533) in canone XXI. ⁴⁾: „Abbatess, qui episcoporum praecepta despiciunt, ad communionem nec penitus admittantur, nisi contumaciam suscepta humilitate deponant“; Synodi Aurelianensis V. (a. 554) canon. II. ⁵⁾: ut monasteria vel monachorum disciplina ad eum pertineant episcopum, in cuius sunt territorio constituta.“

Econtra jam hoc saeculo (sc. VI.) reperimus privilegia exemptionis a Summis Pontificibus Romanis monasteriis donata et quidem a P. Vigilio ⁶⁾ (c. a. 550), a P. Pelagio II. ⁷⁾ (a. 578—590) et maxime a P. Gregorio ⁸⁾ Magno, qui ipse prius monachus ordinis S. Benedicti excellentissimus fautor monasticae libertatis verissime

¹⁾ Hefele, loco cit., Bd. II., S. 509; Canon IV. »ἔδοξε μηδένα μοναχῶν οἰκοδομῆν μηδὲ συνιστᾶν μοναστήριον ἢ εἰκτῆριον οἶκον παρὰ γνώμην τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου· τοὺς δὲ καθ' ἐκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ — ... τὸν μέντοι ἐπισκοπον τῆς πόλεως γρητὴν δεούσαν πρόνοιαν ποιῆσθαι τῶν μοναστηρίων.

²⁾ Thomassinus »Vetus ac nova Ecclesiae disciplina«, P. I. I. III. cap. 29.

³⁾ Hardouin, loco cit. col. 1049.

⁴⁾ Hardouin, Tom. II. col. 1176.

⁵⁾ Hardouin, Tom. III. col. 328.

⁶⁾ Vigili Epist. vide Jaffé, Regesta Roman. Pontif. n. 608.

⁷⁾ Pelagii II. Epist. Jaffé, l. c. n. 694.

⁸⁾ K. Fr. Weiss »Die kirchl. Exemptionen der Klöster von ihrer Entstehung bis zur gregorianisch-cluniacensischen Zeit«, Berner Dissert. Basel, 1893. (Der Verfasser ist Protestant).

nominari potest. Privilegiorum omnium vetustissimum a Romano quodam Pontifice quoad regularium exemptionem concessum est privilegium P. Vigili a. 550, quo Summus Pontifex monasterio „Monti majori“ rege Childeberto I. petente liberam abbatis electionem tribuit. Maximi autem momenti est S. Gregorii M. sic dictum decretum „de libertate monachorum“, ¹⁾ quo decreto jura abbatum contra admistiones episcoporum defenduntur, ita ut Episcopo sine Abbatis consensu nec aliquam „ordinationem quamvis levissimam“ in monasterio facere liceat. Celebris quoque est epistola S. Gregorii M. ad Vitalem, ²⁾ defensorem Sardiniae, qua potissime cautum est, ne monasteria opprimerentur.

Ex saec. VII. usque ad saec. IX.

Intra hoc temporis spatium multa Summorum Pontificum privilegia pro monasteriorum libertate repperimus. Ita e. g. P. Honorius I. (a. 628) ³⁾ monasterio Bobbiensi Berthulpho Abbate orante exemptionem praebuit, in quo privilegio Papa his verbis utitur: „quatenus sub jurisdictione sanctae nostrae Ecclesiae, cui Deo auctore praesidemus, constitutus (sc. Abbas) nullius ecclesiae jurisdictioni submittaris.“ Monachos hoc saeculo generatim exemptos fuisse, demonstrant haec exempla, quorum unum ex Belgio, alterum ex Gallia, tertium ex Italia referemus. Scil. S Trudo ⁴⁾ monasterium suum Sarchiniense, deinde S. Trudonis dictum et anno circiter 656 conditum, non Tungrensi seu Trajectensi episcopo, in cuius dioecesi situm erat, sed Mettensi subjecit. Similiter S. Reolus ⁵⁾ Orbacense monasterium, in diocesi Suessionensi circa annum 681 fundatum, antistiti Remensi subdidit; demum Brixiense S. Juliae seu S. Salvatoris coenobium, quod a. 759 Desiderius rex Longobardorum fundavit, non Brixiensi episcopo sed Patriarchae Aquilejensi parebat.

A Papa Adeodato (a. 672—676) duo sunt data privilegia, unum monasterio S. Martini Turonensi, ⁶⁾ alterum monasterio S. S. Petri et Pauli Cantuariensi. ⁷⁾ In epistola ad universos Galliae episcopos P. Adeodatus ita scribit: ⁸⁾ „Reverendissimo episcopo, in cuius paroechia memoratum venerabile monasterium, vel res eius ac possessiones constiterint, faciendae tantum ordinationis ac promotionis sacerdotum atque Levitarum vel conficiendi chrismatis sit tantum concessa licentia.“

¹⁾ Vide hoc decretum ap. Migne, tom. LXXVII., App. VII. col. 1340.

²⁾ Greg. M. Epist. IX. 64. col. 1001 et Jaffé, l. c., n. 1259 ann. 599.

³⁾ Jaffé, l. c., n. 2017. a. 628, 11. Junii.

⁴⁾ Acta S. S. tom. 12. Octobris, pag. 660.

⁵⁾ Mabillon, »Annales Bened.« l. 17. num. 25, tom. 1. pag. 560.

⁶⁾ Migne LXXX. col. 1141.

⁷⁾ Migne, l. c. col. 1143.

⁸⁾ Hardouin, l. cit. III. 1007 et sequ.

Magnus privilegiorum donator monasteriis praeprimis in Anglia¹⁾ situs fuit P. Agatho (a. 678—681). Vestigia P. Agathonis secuti sunt P. Sergius I., qui monasterio S. S. Petri et Pauli nec non monasterio S. Joannis Baptistae²⁾ privilegia plenae exemptionis a jurisdictione ordinarii concessit, et P. Zacharias, cuius privilegium pro monasterio Fuldensi³⁾ (a. 751) primum monasterio in Germania sito datum est. Quo in privilegis P. Zacharias hisce verbis utitur⁴⁾: „et ideo omnem cuiuslibet ecclesiae sacerdotem in praefato monasterio ditionem quamlibet habere auctoritatem praeter sedem apostolicam prohibemus.“ Ab eodem Summo Pontifice item celeberrimum monasterium „Monte Cassino“ dictum, a S. Benedicto conditum, exemptionis privilegium accepit. Saeculo VIII. ad finem vergente ac saeculo IX. reperimus privilegium P. Leonis (a. 795—816) pro monasterio S. Roquier⁵⁾ (in dioecesi Amiensi sito), quod privilegium exactam definitionem immunitatis continet, item privilegia Summorum Pontificum Stephani IV. (V.) (816—817), Paschalis I. (817—824), Eugenii II. (824—827), nec non privilegium P. Benedicti III.⁶⁾ „Cum Romanae Sedis“ pro monasterio Corbeiensi in Germania a. 855 et Sancti Dionysii in Francia („Questi estis“), cui jam P. Hadrianus I. a. 786 exemptionem concesserat,⁷⁾ denique privilegia multa Nicolai I. (858—867), et Joannis VIII. (872—882).

Ex saeculo X. usque ad saec. XII.

Ingens multitudo privilegiorum exemptionis a saeculo X. a Sede Apostolica donatorum afferri posset; si quis animo complecti vellet, quot, qualia quantaque privilegia a saeculo X. usque ad saec. XII. concessissent Romani Pontifices, percurrere velit „Regesta pontificum Romanorum“, quae edidit Philippus Jaffé Ineunte saeculo X. valde effloruit s. ordo Benedictinus praeprimis congregatione Cluniacensi. Quae congregatio a Summis Pontificibus multis ac magnis privilegiis⁸⁾ iam exordio donata est ita, ut

¹⁾ Beda »Vita quinque S. S. Abbatum« Lib. I. (Migne, Tom. XCIV. col. 717. — Lingard »Alterthümer der angelsächsischen Kirche«, S. 71.

²⁾ Wilh. Malmesb. »Gesta Pontif. Angl.« Lib. V. P. III. (Migne Tom. CLXXIX. col. 1639.)

³⁾ Droncke »Codex diplom. Fuldensis« n. 4a. et 4b. p. 2. n. 3.

⁴⁾ Jaffé »Bibliotheka rer. germ.« tom. III. ep. 82. p. 228 et Jaffé »Regesta« 2293, a. 751, 4. Nov.

⁵⁾ J. v. Pflugk Harttung »Acta Pontif. Rom. inedita« II. (no. 55. p. 27).

⁶⁾ Benedicti III. Const. »Cum Romanae« (Bullar. Rom. tom. I. pag. 295).

⁷⁾ Hardouin III. col. 2021 seq.

⁸⁾ De his privilegiis vide: Mabillonius »Annales Bened.« lib. 41., num. 60, tom. 3. pag. 335. — Bullarium Rom. tom. I. pag. 532. — Bullarium Cluniacense, pag. 23.

libera esset ab auctoritate episcopi ordinarii „subjectumque (sc. monasterium Cluniacense) soli Romanae ecclesiae, cui per singula quinquennia decem solidi ad luminaria Apostolorum persolvantur.“ Haec privilegia congregationi Cluniacensi a multis Pontificibus confirmata ac in primis a P. Benedicto VIII. (a. 1012—1024) amplificata sunt (Bened. VIII. Constit. „Liquidum est“). P. Urbanus II. novum diploma edidit, quo non solum „quidquid libertatis, quidquid immunitatis, quidquid auctoritatis“ Romani Pontifices abbati et Cluniacensi monasterio concesserant, confirmavit, sed expresse „decrevit ac stabilivit, ne quis ultra legatus Romani antistitis, vices in vestris partibus agens, absque ipsius licentia vel praeeptione buccam in vos aut vestra monasteria audeat aperire, vel nisi ad id ipsum specialiter dirigatur; episcopis vero, in quorum dioecesibus vestrae sunt facultates, omnino non liceat de vestris monachis aut monasteriis judicare salvo canonico illo jure (nempe dandi chrisma et alia episcopalia), quod in eis hactenus habuerunt“. Cisterziensium ordo a S. Roberto fundatus et mox praeprimis per S. Bernardum ad summam dignitatem evehctus nec non longe lateque propagatus multis privilegiis a Summis Pontificibus ornatus est et ab Alexandro III. Papa a. 1161 ab omni dioecesanorum imperio ac jurisdictione solutus est (Alexander III. „ad Giselbertum Cisterziensem Abbatem et reliquos eiusdem ordinis“). Abbates, qui praepostere ecclesiarum suarum libertatem ambirent, S. Bernardus (a. 1126) in libro suo „de Officio episcoporum“ carpsit, quia non raro abusus quoad exemptionem invalescebat. Non vero adversarium omnium privilegiorum et regularium exemptionis S. Bernardum nominare possumus, sed tantum illorum, quae ex cupiditate et non propter utilitatem peterentur vel concederentur; ipsi enim S. Bernardo petenti ab Innocentio II. Summo Pontifice a. 1142 pro ordine Cisterziensium diploma exemptionis datum est. Verba ipsa huius diplomatis: „Quamobrem tuis justis desideriis accommodantes assensum B. Mariae Deigenitricis monasterium, cui Deo auctore praesides, cum omnibus ad ipsum pertinentibus apostolicae sedis patrocinio communivimus“ (Maurique „Annales Cisterc.“).

Jam hoc saeculo (sc. XII.) et quidem a. 1119 Calixto II. Summo Pontifice regnante contra regularium exemptionem impetus factus est ab episcopo Matisconensi („Macon“) in concilio Rhemensi adversus Pontium, abbatem Cluniacensem, cui Cardinalis Joannes a Crema defensor jurium ac privilegiorum veterum congregationis Cluniacensis adfuit.

(Continuatio in fasc. seq.)